



Universitätsbibliothek Paderborn

**Symbola Trinitatis, Id Est Trinitatis diversarum rerum, ex
Veteris ac Novi Testamenti Scripturis, Historijs &
exemplis; nec non congruentioribus rerum naturalium
similitudinibus conscripta ...**

Duplan, Theodore

Ruraemundae, 1663

21. Aqna etiam in tribus locis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12221

Cum radio spirat lux ipsa reflexa calorem ,

Quo fœtam segetem fœta rependat humus.

In Triadis partu lumen de lumine fulget:

Hinc calor emanat , Spiritus , ignis , amor.

Ex Boëtio addo : Deus quæ sunt , quæque fuerunt , uno mentis cernit
in ictu , quem , quia respicit omnia solus , verum possit dicere solem .

S Y M B O L U M 20.

Ignis in tribus potissimum locis.

VIs ardens est Sancta Trias , quâ corda calescunt ,

Ignea ter geminis sunt elementa locis.

Fulget in æthereâ statione serenior ignis ,

Terra suis ignes usibus omnis habet.

Ad Triadem monstrat iter vis excita sursum ,

Ultrices flamas inferus orbis habet.

N. Ignis aptè significat Divinitatem , ideoque in ejus specie Deus saepe appa-
ruit. Primo quia est elementum subtilissimum ; Deus autem est spiritus pu-
rissimus. Secundo quia ignis est lucidissimus ; Deus autem est lux immensa
Beatos illuminans , affectum delectans , actusque omnes Sanctorum dirigens
Tertio est calidissimus : Deus autem suo calore omnia vivificat , purgat , ani-
mat ; imo cum vult irascitur , punit , adurit. Quartò quia est levissimus ; Deus
autem in altissimis habitat. Quintò quia est simplicissimus , talis maximè est
Deus. Hinc Persæ & alij ignem coluerunt quasi Deum.

S Y M B O L U M 21.

Aqua etiam in tribus locis ,

Super cælos , in aëre , terrâ.

AQualem per aquas Triadem signare sit æquum ,

Est aqua Grammaticis dicta quod equa fluit.

Tres pueri ad Triadis laudem Babylonis in igne

Invitant lymphas quæ super astra latent.

H h

Æther

Æthere labuntur densis e nubibus imbræ,

Ipsa suas tellus arida volvit aquas.

S Y M B O L U M 22.

Triplex celorum motus,

Raptus, proprius, trepidationis.

SIdereos immota Trias quæ condidit axes

Ter gemino cælos ordine, jussit agi.

(a) Corpora ab eois celeri sibi subdita cursu,

Raptat in hesperias mobile majus aquas;

(b) Tardiùs innato, & motu (c) trepidante rotantur;

Sic immota Trias motibus hisce patet.

(a) Primum mobile spatio 24. horarum moveretur ab oriente in occidentem secum rapienti inferiorum orbes. (b) Qui proprio motu moventur ab occidente in orientem, sed non omnes æquè velociter. (c) motus trepidationis est a meridie in septentrionem, & vice versa.

S Y M B O L U M 23.

Tria ex Fontanâ Scaturigine,

Fons, rivo, flumen.

PErspicies claris ut imago liquoribus insit,

Clarescit rivo, flumine, fonte, Trias.

Lympidus excelsis fons rupibus exilit, inde

Defluit hic rivo, flumen utroque fuit.

Fons similis Patri: qui derivatur ab illo

Est Genitus, Flamen; quid nisi flumen erit?

S Y M B O L U M 24.

Speculum Triforme.

Si Triadem speculo vis assimilare Triformi,

Unicus in speculo vultus, imago triplex.

d H

Gignitur